



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Melioramenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Melioramenta.

14. Dico ergo, has etiam expensas posse possessorem in bonam & malam fidem deducere, & dominum ad solvendas, vel compensandas obligari: esse tamen in hac quaestione, num omnes, an aliquas dumtaxat. Lege Castro Pal. de lusu, in genere, d. unic. p. 24. Vt autem id statuatur, distinguere debent melioramenta in necessaria, utilia, voluntaria, seu voluptuaria, ut sunt ea quae, si adhibita non fuissent, nullos seu deteriores fructus res produxisset. Secunda sunt ea, quae faciunt res sit utiliores, ut si, v. g. cum necessariis melioramentis, seu, quod idem hic est expensis, res v. g. vinearum centum, cum his utilibus redditu ducenta, sunt ad merum ornatu, sine accessu utilitatis redditu annui: Tales sunt fontes, picturae, statuae &c. quibus sine dubio praedium pluris valeat, & magis estimetur, tamen quia ex illis non reddit praedium fructus annuos, annui non vocantur, nec sunt utilia, sed voluptuaria melioramenta.

15. Altero jam, Possessorem bonae, imò, & malae fidei, expensas factas ad melioramenta utilia, & necessaria domino petere, & hunc debere solvere, vel compensare? non verò factas ad melioramenta voluptuaria. Possit tamen ejusmodi possessor bonae, vel malae fidei, hae melioramenta voluptuaria, si separari queant, vel per adjunctionem accesserint rei, ut arboribus, vel plantis infusa: ut ad merum ornatu, nihil inter eos eorum pretio solvendum possessori malae fidei, ut Sanchez loco citato, num. 139. imputet enim sibi, si admittat, quae circa rem alienam sine domini consensu, & sine ejus utilitate expendit. Adde, iniquum esse cogere dominum invitum emere illos ornatus, quoniam ille libentius forte careat, quam careat pecunia, quae ei solvenda. Haec secunda ratio probat, idem esse decedendum de melioramentis his voluptuosis à possessore bonae fidei forte factis. Scio de Lugo loco citato num. 6, velle saltem modicum quid pro his esse à domino solvendum ipsi possessori malae fidei, quod certe est probabile, quia aliqua tandem domini utilitas est emere modico pretio dicta melioramenta voluptuaria: Quare licet cogitur emere justo pretio utilia propter utilitatem, ita & haec voluptuaria modico pretio, quia sic utilia ornatus sunt.

Pro possessore bonae fidei idem videretur dicendum: nec enim dominus debet cogi emere voluptuaria: tamen huic possessori propter bonam fidem conceditur bonas eas sibi separandi, si ea separari possunt: quod si non possunt, ipsi conceditur cogere dominum ad solvendum quantum ipse possessor expendit, ut ea faceret, addito pretio laboris, vel ad vendendam rem ipsi possessori justo pretio deductis melioramentis.

16. Tria denique advertit, ut colligit ex l. in fundo, §. de rei vendit. & alibi, & explicat pluribus Sanchez l. 1. de dec. cap. 23, num. 147. Primum, pro dictis melioramentis etiam necessariis, & utilibus, dominum non debere solvere, quantum crevit valor rei suae, sed quantum valuerunt expensae, quibus ea melioramenta creverunt. Plantavit, verbi gratia, possessor arborem fructiferam, expendendo unum aureum, nunc verò arbor plantata valet decem aureos: unum aureum debet dominus, non verò decem solvere. Ratio est, quia illud augmentum est partus sui agri. Quod si contra expensae fuerint decem, verbi gratia aureorum, debet arbor nunc valet unum aureum: tantum tantum debet dominus, non decem, quia pro uno aureo utilis est domino, arbor. Nec enim equum est, ut cogatur emere pluris, quam ipsi valeat. Imò si possessor bonae, vel malae fidei expendisset unum aureum, sed dominus, si illud melioramentum fecisset, expendisset minus, verbi gratia, dimidium, dimidium debet reddere dominus, non unum. Ita Sanchez l. c. n. 140. cum Lessio, & Mol.

Part. I.

quia ipse solum debet id, in quo emolumentum participat: quod nunc solum est in dimidio.

16. Adverte secundò, Non solum possessorem malae, sed etiam bonae fidei, ex fructibus quomodocunque consumptis, quamvis ditior redditus non fuerit, teneri eos cum melioramentis, sive necessariis, sive quomodocunque utilibus compensare. Ratio est, quia quod plures fructus percepit possessor quamvis eos consumpserit, eo minus censetur pro melioramentis expendisse.

17. Adverte tertio: Si res cum melioramentis pervenit in domini manum, antequam dominus solvat possessori bonae fidei expensas praedictas: posse semper in conscientia à dicto possessore peti eas, quas dominus debet, & dominum dare debere. At si sermo sit de possessore malae fidei, dubitatur, an dominus in dicto casu, quo rem suam recipit, antequam expensas huic possessori malae fidei solverit, obligatus sit nihilominus solvere? Negat obligari Sanchez l. c. n. 143. & 144. quia quoties lex justè negat actionem ad aliquam rem petendam, & simul concedit debitori repetitionem, si solverit, licet etiam eidem debitori possidenti non solvere, ut fuscè idem probat ibid. & lib. 6. de matr. d. 38. n. 34. & lib. 18. d. 8. num. 15. sed malae fidei possessori negat lex actionem petendi expensas melioramentorum, & dat domino repetitionem, si solverit, ergo, &c. Navarr. quem citat, sequiturque de Lugo tom. 2. de lusu, d. 17. §. 3. num. 66. alique affirmant, cum obligari solvere ante sententiam: & ratio esse potest quia lex in poenam delicti negat talem actionem possessori malae fidei, at poena non obligat nisi post sententiam, quia ejus executio est actus, qui à publica potestate provenire debet. Utraque sententia est probabilis, & tuta. Quae dicta sunt esse pro foro conscientiae, iterum noto.

§. VI. Tres dubitationes circa variationem bonae, & malae fidei.

1. Prima Dubitatio: An qui primò habuit bonam fidem, deinde malam, & fructus consumpsit, sit injustus acceptor, ita ut obligetur reddere eisdem fructibus, etiam non extantes? Quid, si contra evenierit, ut prius mala fide laboraverit, deinde acquisierit bonam?

Respondeo, in foro conscientiae (si enim Jurisconsultos in foro externo consulas, nunquam rem expedies) solum tunc obligaris ex injusta acceptione, quando consumis fructus eo tempore, quo mala fides tecum est, quidquid fuerit antea, vel postea. Ita Molin. tom. 2. d. 569. & 10. d. 725. alique, quos sequitur citatus Sanchez l. c. n. 152. Ratio mihi manifesta est, quia tunc injuste te geris contra dominum, & tunc peccas contra Justitiam. Ergo ex vi illius culpe tunc contrahis obligationem restituendi. Quod si casus occurrat, ut deinde superveniat certitudo, tuos esse illos fructus, quos mala fide consumpsisti: ideo non obligaris restituere, quia illa consumptio verè non fuit materialiter injusta, sed ex conscientia erronea, quae cessante, jam ab omni onere liber eris.

2. Secunda Dubitatio: Quid erit, si respectu unius sit quis mala fide possessor, non verò respectu veri domini? Si possessor, verbi gratia, putans praedium esse Petri, consumat ejus fructus, utique mala fide, sed praedium verè est Pauli, eritne obligatio eos restituendi ex injusta acceptione? Ratio dubitandi est, quia tunc possessor ille re ipsa non est injurius, seu iniquus consumptor contra Petrum, quia verè illi fructus, sicut, & praedium, non sunt Petri: nec est injurius contra Paulum, quia dum illum, ut dominum non agnoscebat, contra ipsum esse non potest. Unde nec potest obligari ex injusta acceptione; ergo solum obligaretur ex re accepta: sed quia jam supponimus fructus fuisse consumptos, ex dictis ad nihil nunc obligabitur. Respondeo, hunc censendum esse consumptorem malae fidei, atque adeò, cognita veritate, debere regulariter restituere eos fructus Paulo. Ratio est, quia, ff. dum